

venitis ^{a)} ad ecclesiam, cuius inimici estis: frustra offertis ad altare nummum, quem ipsi ^{b)} altario tulistis. Quid de vobis dicam, seculares, qui non solum ecclesias, sed etiam ipsa altaria ¹⁾ possidere vultis? Nunquid vos, qui ^{c)} oblationes pauperum comeditis et bibitis, ad offerendas Deo hostias pro ipso populo accedetis? Vos horrea frumento et cellaria ex his, quae ecclesiae sunt, vino complebitis et sacerdotes eius fame affligetis? Cur non pertimescitis ^{d)} iudicium Dei? Panes propositionum ²⁾ non licet comedere, nisi mundis et purificatis sacerdotibus: et vos cum uxoribus et ancillis vestris et, quod peius est, nonnulli cum scortis decimas et oblationes fidelium manducabitis? Coram vobis ardebit candela, quae Deo est oblata, et eius altare et sacrificium sine lumine erit? Chore, Dathan et Abiron ³⁾ contra Moysen et Aaron pro sacerdotio murmurant et ea quae Dei sunt auferre moliuntur. Chore cum ducentis sociis suis ^{e)} ⁴⁾ igne divino exustus periit ^{f)}, Dathan et Abiron cum uxoribus et liberis et universa familia et suppellectili ^{g)} tota vivos terra absorbit ⁵⁾. Achar ^{h)} quia usurpavit de anathemate, cum omnibus suis vivus incensus est ⁶⁾. Oza quia presumpsit arcam Dei tangere, mortuus est in eodem loco ⁷⁾. Balthazar ⁱ⁾ rex in convivio suo decimas et oblationes Dei non apposuit, sed in sacris eius vasis bibere presumpsit ⁸⁾; ob hoc cenanti ^{k)} ei apparuit manus quae scriberet in pariete: Mane, Thecel ^{l)}, Phares; cuius rei interpretationem a Daniele sancto in testimonium sui accipiens, ea nocte interfectus est et regnum eius dissipatum ⁹⁾. Cur induratis cor vestrum sicut Pharao ¹⁰⁾, qui servituti subigebat populum Dei? Decem hic plagis ¹¹⁾ percussus ad ultimum in mari rubro cum omni suo exercitu suffocatus est. Similiter vos populum Dei manducatis et dispergitis, sacerdotes eius contempnit ^{m)}, precepta

^{a)} durch Rasur aus venistis korr. A; venistis C. ^{b)} es folgt Rasur von ca. 5 Buchstaben A. ^{c)} über der Zeile nachgetragen A. ^{d)} nach ci ein Buchstabe (s) radiert A. ^{e)} fehlt B. ^{f)} t nachträglich ergänzt A; perit B. ^{g)} suppellectili C. ^{h)} Acham C. ⁱ⁾ Balthazar C. ^{k)} coenanti C. ^{l)} Thecel B. ^{m)} contemnit C.

¹⁾ Vgl. oben S. 63 Anm. 162.

²⁾ 1. Reg. 21, 6 (D); cf. Matth. 12, 3—4.

³⁾ Num. 16, 1 sqq. (D).

⁴⁾ ducentos quinquaginta viros nach der Vulg. (D).

⁵⁾ Num. 16, 32. 33. 35 (D).

⁶⁾ Jos. 7, 1. 25 (D).

⁷⁾ 2. Reg. 6, 7 (D).

⁸⁾ Dan. 5, 1—3 (D).

⁹⁾ Dan. 5, 25—30 (D).

¹⁰⁾ Exod. 7, 13.

¹¹⁾ Exod. 7—15 (D).